

EXERCITATIO JURIDICA

De

PVPILLO

INFANTE MAIORE,

QUAM

JOVA JUVANTE,

Sub

Moderamine

VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi,
atque Excellentissimi*

DN. JOHANN - MELCHI-
ORIS SACHSENI

J. U. D. & in Inclyta Argentoratensium Universitate
Inst. Imperial. Professoris Ordinarij Famigeratissimi,
Patroni, Fautoris & Præceptoris sui omni Honoris ac
observantiæ titulo ætatem deve-
nerandi.

SOLENNI Eruditorum ventilationi exponet

FRIDERICUS DECKHERR, Argentorat.
Aut. & Resp.

Ad diem 20. Mensis Martij

¶¶¶¶

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS WELPERI.

M. DC. LXV.

~~81~~
81

14

1665, 13.

3

19

15

16

17



DISPOSITIO

PUBLICO INEQUITIA MAIORE

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



I.



C. B. D.
DISPUTATIONIS

De
PUPILLO INFANTE MAIORE,
Proœmium.

Miserabilem omnino esse Pupillorum conditionem, ut quorum ætas imbecilla, imperita, & multorum insidiis & captio- nibus est exposita, patet ex *l. 2. D. de minor. & t. t. C. quando Imperat. int. pupill. vel alias miserab. pers. cogn.* Qua in Consti- tutione Imperator Justinianus pro insigni animi sui humanitate, non tantum bene- volentiam suam, qua ejusmodi miseras personas, quales pupilli sunt, prosequitur, exponit, sed & omne auxilium & subsidi- um, quo miseriam eorum sublevaret, juxta præceptum Divinæ Majestatis *Exod. cap. 22. v. 22.* promittit, & ceteros, præsertim Le-
A gisla-



gislatores, ut idem facerent, adhortatur
 in *Nov. 72*. Imitatus in hoc *Sacratifs*. Imper-
 rat. Divum Severum, qui Imperatorij quo-
 que muneris hoc esse censuit, & omnem
 se rationem adhibere subveniendis Pupil-
 lis, quia ad curam publicam pertinet, re-
 scripsit in *l. 2. §. 2. D. qui pet. tut.* Multa
 itaque Legumlatores in favorem eorum,
 ut qui ob lubricum ætatis sibi ipsis prospici-
 cere nequeunt, pie & utiliter introduce-
 runt, quos, ut aliqua ex parte imitarer, con-
 stitui & ipse *de Pupillis, eorumque jure &*
Privilegijs, ea quæ hinc inde in jure Civili
 diffusa sunt, colligere, & Disputationis pu-
 blicæ loco proponere. Quoniam verò Ma-
 teriæ amplitudo, si omnium pupillorum
 jura recensere voluissem, latius sese ex-
 tensura videbatur, quam ut instituti ratio
 ferret, ideoque *Generalia* quædam, omni-
 um Pupillorum communia, præmisi, Jura
 postmodum *specialia Pupillorum Infantia &*
majorum, accuratiori tractatione subjectu-
 rus: sperans non inutilem operam in tam
 pia & necessaria juris parte me collocatu-
 rum, quod, ut fiat, Deum Ter. Opt. Max. eni-
 xe oro atque obsecro.

Thesis I.

UT autem convenienti ordine ingrediar, prius examinanda est nominis ratio, ubi statim occurrat vocabuli Pupilli *Etymologia*. Videtur autem illud derivari à verbo *Pupus*, quod apud veteres Puerum, item *Pupa*, quod Puellam significabat, ut in illo *Martial. Epigram. lib. 4.*

Dicit se vetulam cum sit Carelia Pupa,

Pupam se dicit Gellia, cum sit anus.

Et abusive etiam pro imagunculis illis puellaribus, quibus virgines in prima pueritia lufitare solebant, donec pubertati vicinæ, eas Veneri offerrent, accipiebatur, quas etiamnum nostro idiomate *Puppen* vulgò vocari videmus; donec tandem, in Scholasticorum recepta vox *Pupilli*, ad eos tantum, qui Parentibus orbi, in potestate tutoria essent, restringeretur.

II.

Pergimus ad *Homonymiam* vocabuli pupilli, quod sumitur I. *Latissime*, pro pubere minore *l. 20. de Rit. Nupt. l. 15. de Spons. II. Late*, pro quovis Impubere, sive Patrem habeat, sive non, ut in *l. 18. in f. C. de Iur. delib. l. 26. de Iurejur. l. 141. §. 2. de Verb. Obl. l. 4. C. de serv. necess. her. inst.* sicut econtra impuberis vox in specie pro pupillo accipitur, *ll. 6. seq. all. III. Stricte*, pro Impubere in potestate tutoris existente, quæ significatio Juridica, & hujus loci propria. Pupillus vero non appellatur is, qui in utero est, *l. 161. D. de verb. sign. cum vix animal, nedum persona esse existimetur, sed spes tantum animalis, & ideo in l. 239. D. de verb. sign. per impuberem, & per consequens jam natum, definitur. Goedd. ad h. l. n. 3.*

A 2

III.

Absolvitur nominis examinatio, *Synonymiâ & Paronymiâ*: illam quod attinet, diximus. th. præc. poni aliquando pro Pupillo impuberem, tanquam genus pro specie, ut in l. 6. D. de Legit. tut. l. 1. §. 4. de Successor. Edict. Item Minorem. l. 2. C. quand. mul. tut. off. fung. Auth. Minoris. C. qui dare tut. Nov. 72. præf Germanis dicitur ein Weisling/ Pfliegkind/ Vogtskind/ Schard. Lex. Iur. Gallis, un orfelin, ou Pupille. Italis, un orfano, ô Pupillo. Hac consideratur in vocabulis Pupillariter & Pupillaris à Pupillo descendentibus. Hoc tribuitur in jure vel *Ætati* Pupillorū, quæ finitur anno 14. in masc. & 12. in foem. l. 16. D. de Iure fisci. l. 7. C. de Impub. & al. substit. l. 3. C. de Præsc. 30. vel. 40. annor. vel *Tabulis*, l. 38. in f. D. de vulg. & pup. subst. vel *Testamento*, l. 8. §. 5. de Inoff. test. vel *Substitutioni*, quæ fit liberis impuberibus in eum casum, si ante pubertatis annos decesserint, l. 2. de Vulg. & Pup. subst. Item *Rebus* pupillorum, l. 5. §. 14. D. de reb. eor. qui sub tutel.

Exposita jam ὀνοματολογία, ad πραγματολογίαν progredior, & Primo quidem ad *Definitionem*. Definitur autem Pupillus in l. 239. D. de verb. sign. *Quicum Impubes est, desit in potestate Patris esse, morte, vel emancipatione.* Ponitur in hac Definitione loco generis *Impubes*, & recte, omnem enim pupillum Impuberem videmus. pr. Inst. quib. mod. tut. fin. non vero omnem impuberem pupillum esse ex eo deprehendimus, quod impubes dividat

§.
 dividatur in eum qui est in potestate vel Domini. l. 14. ad SCtum Syll. vel patris; & eum qui sui juris est, sive in pupillum & filium famil, l. 18. Cod. de jur. de lib. Differentiæ loco ponitur, *desit in potestate patris esse, morte, vel emancipatione.* Mortem hic intelligimus, tum patris naturalem, *pr. Inst. quib. mod. jus. patr. potest. solvit.* tum civilem, §. 3. d. 1. An etiam ipsius filij? Et quidem cum impubes per mortem naturalem homo esse desinat, superflua erit de illa quæstio: Mortem Civilem quod attinet, v. g. Captivitatem, vel Deportationem, (v. C. I. A. de tutel. §. 12.) desinit quidem esse pupillus, §. 1. l. quib. mod. tut. fin. sed non desinit esse impubes, d. l. 14. ad SCtum Syll. An autem his duobus modis tantum ex filio fiat Pupillus dubitari posset? quod affirmatur.

V.

Divisionem quod attinet, comm. Dd. ex gradibus ætatis distinguunt pupillum, in Infantem, infantiæ proximum, & Pubertati proximum. Pupillus infans est *persona septem annis minor*, l. 18. pr. C. de jur. de lib. l. 1. §. 2. de adm. tut. Aliter Hunnius, lib. 1. Resolut. 11. 4. quæst. 16. qui putat infantem esse eum, qui non intelligit & quod dicitur, & quod agitur, sensu scil. juris. Aliter etiam Ant. Faber, *Jurispr. lib. 1. 12. pr. 6. illat. 8. p. m. 813. & seqq.* qui putat infantem esse eum qui fari non possit, sive annis. 7. major, sive minor sit, quem refellit Consult. Dn. D. Georg. Rudolph. Affinis honor. in *Disp. sua Inaug. de Jure infantum*, §. 13. 14. 15 & seqq. quo me brevitatis causa remitto: hoc unicum addens, Pupilli infantis nullam me agnoscere subdivisionem; quamvis

A 3

enim

6.

enim sint, qui diversas quoque infantiaæ ætates distinguant, v. g. tempus ambulandi, dentitionis, vocis asperioris, & expeditæ locutionis, &c. quia tamen ea in sensu juris nullum effectum habent, merito eas omitto.

VI.

Pupillus infantiaæ proximus definitur ab Hunnio *loc. cit.* quod talis sit persona, quæ quod dicitur quidem intelligit, non tamen quod agitur satis perspectum habet, *l. 9. de acq. vel om. hered.* & vicissim Pubertati proximus est is, qui intelligit, & quod dicitur, & quod agitur, *tex. in l. 14. ad SCtum Syll.* verum quonam ætatis anno tales judicentur, gravissimè inter Dd. controversi videmus. Videatur Magnif. & Consultif. Dn. Dr. Rebhan, Patronus, Præceptor, atque Promotor meus omni honoris ac observantiaæ titulo ætatem colendus, *in Hodegeta Juris p. m. 494. & seqq.* Antequam autem ad examen hujus quæstionis me accingam, illud obiter monendum, inter infantiaæ & pubertati proximos non dari effectum juris aliquod tempus intermedium, sed à quo tempore quis desinit esse infantiaæ proximus, ab eo incipere pro proximo pubertati haberi, nec statuendum infantiaæ proximum dici istum, qui per annum v. c. infantiam excessit: Pubertati proximum, qui ultimum pubertatis agit annum, & consequenter ab anno 8. usque ad complementum anni 13. neque pro infantiaæ, neque pubertati proximo haberi; silentibus enim legibus & rationibus, meritò nos quoque subsistimus.

VII.

His ita præmissis, diversas quasdam Dd. opiniones

7.

nes referam; *Prima* est eorum, qui putant omnem eum esse infantiae proximum, qui infantiam excessit, nec tamen pubes est, §. 9. *l. de inut. stip. l. 1. §. 2. D. de adm. tut.* & contra, eum esse Pubertati proximum, qui ad pubertatem accessit, i. e. quando masculus jamjam annum ætatis 14. foemina 12. absolverunt. & seqq. attigerunt: Verum hanc sententiam absurdam esse, vel ex eo apparet, quod hac ratione proximus pubertati, jam esset pubes, non impubes, & consequenter impubertatis non tres, sed duo tantum gradus essent, contra §. 9. *l. de inut. stip. §. 18. de Obl. qua ex del. nasc. l. 23. de furt.* neque sequitur quemadmodum dicimus, illum infantiae proximum, qui infantiam excessit: est enim inter hæc diversissima ratio; nam ubi de pubertati proximo agitur, non quæritur an sit pubes, sed an futurus sit pubes; at cum de infantiae proximo agitur, nõ quæritur utrum sit infans, sed an desierit esse, ut uterque sub impubere comprehendatur.

VIII.

Altera opinio est priori contraria, ubi statuunt, pubertati proximum esse omnem illum, qui infantiam sive septennium excessit: utuntur hac ratione, quod pubertati proximus sit is, qui doli est capax. *l. 23. de furt. l. 26. de jurejur. l. 4. §. 26. v. denique. D. de dol. mal. & met. exc.* Doli autem capacem septennio majorem esse. *aff. c. 1. X. de delict. puer.* Verum hæc quoque sententia eodem vitio, quo superior laborat, cum hac ratione duo tantum Impubertatis gradus constituerentur: nec conceditur simpliciter eum qui 7. annos excessit, esse doli capacem, sed eum tantum, qui pubertati proximus est, *d. §. 9. l. de inut. stipul.*

IX.

Tertia quoque opinio eorum, qui putant proximum pubertati esse illum, cui ad plenam pubertatem sex menses restant, erronea est; utuntur quidem pro stabilienda hac sua sententia, textu, ut putant, expresso l. 17. D. de excus. tut. ubi hæc habentur verba: nam si priorum pupillorum ætas prope pubertatem sit, ita ut semestre tantum tempus reliquum fuerit &c. ex quo colligendum esse arbitrantur, cum solum prope pubertatem esse dici, qui ultimum semestre anni 13. attingit. Urgent similiter terminum prope in jure nostro semestre tempus denotare, d. l. 17. l. 13. §. 2. C. de Judic. sed facilis est responsio, si attendatur, JCrto in d. l. 17. non fuisse propositum ætatem pubertati proximam definire, sed hoc tantum decidere, an is, qui tria habet tutelæ onera, si una prope finem sit, propter ætatem pupilli quarta sit onerandus? Ad quod respondet JCrus, non excusari, si brevi speretur tutelæ finis, v. g. si sex menses absint à pubertate pupilli; nec tamen inde licebit inferre, si is pubertati proximus est, cui sex tantum menses desunt, ergo non etiam is, cui longius tempus deest; liceret alias & sic inferre, proximus pubertati est, cui unicus dies deest, ad complendum annum 14. Ergo non is cui semestre tempus abest. Minus obstat d. l. 13. C. de Judic. cum ibi de pupillo pubertati proximo sermo non sit, nec inferre licebit, terminum prope in aliqua juris materia & in primis Codice (ubi terminorum accurata acceptio rarius occurrit) restringi ad tempus semestre, ergo passim ita accipi; nam in alio quoque sensu verbum prope legitur in l. 95. §. 9. de solut. l. 41. D. de mort. caus.

*caus. don. l. 5. §. 6. de re militari. l. 2. §. 3. de O. 1. & ali-
bi passim.*

X.

Quarta vix responsionem meretur, quando ex
l. 3. in f. D. de lib. exhib. quidam inferunt, pubertati
proximum esse illum, qui tribus diebus à puberta-
te distat, quippe cum ibi ne verbum quidem de
tribus diebus reperiat: prætextatum autem pro
pubertati proximo accipere, & confundere, infi-
gnis est inscitiae, quippe quod prætextatus esse desi-
nat anno 16. demum finito, & 17. inchoato: imo si
textus iste de pubertati proximo exaudiendus esset,
hoc absurdum eveniret, ut ipse pubes non impubes
hoc nomine veniret. *v. §. 7. & 8.*

XI.

In tanta opinionum varietate Quinto loco repe-
riuntur, qui ad arbitrium iudicis confugiunt, eique
totam rem decidendam relinquunt, hoc fundamen-
to nixi, quod à Iudicis arbitrio pendere debeat id,
quod in iure nostro decisum non est, *l. 1. in f. D. de Iur.
Delib.* In primis cum non sit omnium regionum ea-
dem conditio, sed in una citius, in altera serius ho-
mines pubescant. &c. sed nec hæc subsistit sententia
si advertamus illud non minus pro deciso haben-
dum, quod ex iure per bonam consequentiam de-
duci potest, quam quod verbis expressis deciditur.
l. 12. & 13. D. de legib. Nec hoc casu recurrendum est,
ad regionum conditionem, cum potius spectandum
sit quid plerumque fiat, *l. 3. & 4. D. de leg.* idque eo
magis in hoc casu, ubi pubertatis tempus defini-
tum est. *pr. l. quib. mod. int. fin.*

B

XII.

10.

XII.

3
19
2
3
6
7

Superest ut meam quoque sententiam exponam, qua in parte mediam viam eligens, tutissimum me fore arbitror, si statuam medium inter infantiam & pubertatem tempus, septem annorum in masculo, & quinq; in foeminis ita dividi oportere, ut dimidium cedat proximis infantiae, reliquum tempus proximis pubertati, hoc sensu, ut masculus impubes ab anno 7. impleto, usque ad annum decimum & dimidium, proximus infantiae, de hinc usque annum 14. impletum, pubertati proximus habeatur, foemina vero usque ad annum nonum & decimum, proxima infantiae, & postea pubertati proxima judicetur, quae sententia utpote media merito amplectenda, §. ult. 1. de vulg. subst. & nullis partibus expressis, aequales praesumuntur, §. 8. 1. de Hæred. inst. fac. §. f. 1. quib. ex caus. manum. non lic. ubi mediam Justinianus viam eligit. Hancque nostram sententiam tuetur Magnif. Dn. Dr. Rebhan. in Hodeg. pag. 496. Locamer. in Not. ad §. 9. Inst. de inutil. stip. Hunn. l. 1. resol. rr. 4. quest. 16. in f. eamque in praxi observari testatur Gomez. 3. variar. resol. 1. n. 57. & plures alii.

XIII.

Lubet hic quærerere, si contingeret impuberem circa terminum anni 10. & dimidii, vel contrahere vel delinquere, an tunc pro infantiae an pubertati proximo habendus sit, nec ne? Quo casu distinguo, utrum agamus de ejusmodi pupilli favore & comodo, & tum eum pro pubertati, proximo habebimus, arg. l. 5. D. de Testam. pr. Inst. de Auth. tut. An vero tendat ad pupilli incommodum & poenam, ut in delictis, tum eum pro infantiae proximo judicabimus.

II.

mus, arg. l. 42. D. de pœn. l. 3. D. de hū, qua in test. de
lene.

XIV.

Cum nimis diu circa divisionem me moratum
esse deprehendam, properandum mihi nunc est, ad
explicationem jurium pupillarium: Commodissima
autem tractandi methodus ea videbitur, si pupilli
jura primo generaliter, deinde specialiter, ex triplici
juris objecto, personarum, rerum, & actionum, exa-
minarem.

XV.

In consideratione *Generali* apparet pupillos esse
miserabiles personas. *et. C. quand. Imp. int. pup. vel al.
mis. pers. cognosc.* tum propter judicium quod vel om-
nino nullum habere creduntur. l. 1. §. 3. l. 31. §. 2. D. de
A. vel A. P. §. 9. l. de inut. stip. l. 14. ad S. C. *Syllan.* quo
respectu etiam furiosis comparantur. l. 5. §. 2. D. ad
L. Aquil. l. 22. §. 2. D. quib. ex caus. maj. l. 9. de A. vel. O. H.
vel saltem rebus gerendis insufficiens. d. §. 9. l. 14. ad
S. C. *Syll.* arg. pr. l. de Curat. l. 1. de Minor. cujus respec-
tu multorum insidiis subjecti dicuntur. *all. ll. tum.*
quod sibi ipsis, corpori puta, vitæq; necessitatibus,
prospicere, contrahere, bona sua administrare, se
suaque tueri non valeant, l. 7. D. de curat. furios. §. pen.
de Atil. tut. §. 1. 2. l. de tutel. Inde permoti Legum-
latores largissimis eos beneficiis cumularunt. d. l. 1.
pr. de Minor. Prospexerunt enim illis de tutoribus,
qui eorum vitam, corpus, & bona defenderent, d. l. 7. d.
§. 1. 2. l. de tutel. cum non modo parentibus & Magi-
stratibus potestatem tutorum dandorum concesser-
unt. *et. de Test. tut. et. de tut. dat.* sed etiam agnatos ad
legitimam tutelam vocarunt. *et. D. de legit. tut. et. 1.*
de le-

B 2

de legit. agnat. tutel. & si contingeret libertos, matrem, agnatos, cognatosque, ad tutelam gerendam minus idoneos esse, illis ipsi tamen, ut alios tutores petent, aliquando sub gravi poena corporali, l. 2. §. 1. D. qui pet. tut. aliquando sub comminatione amittendæ hæreditatis injunxerunt, l. 2. §. 23. ad SCtum Tertull. l. 2. §. 2. D. qui pet. tut. l. f. §. 3. ibid.

XVI.

Tutoribus ita constitutis imposuerunt, ut pupillis de alimentis, quorum nomine veniunt cibus, & potus, habitatio, vestes, l. 43. 44. *de verb. sign. l. f. de alim. leg. aliaque necessaria, l. 5. §. 12. de agnosc. & alend. lib.* imò & informatio venit, l. 2. *C. de Alim. pup. prest. prospiciant, vel ex bonis pupillorum propriis, tt. C. de alim. pup. prest. tt. D. ubi pupill. educ. §. 10. Inst. de susp. tut. vel talia à patre emancipatore exigant, l. 5. §. 1. D. de agnosc. & alend. lib. vel à matre, d. l. 5. §. 4. d. t. & in subsidium deficientibus aliis remediis educandi alendique, Orphanotrophia, Brephorotrophia, & Brochotrophia ipsis assignarunt, l. 17. §. 2. l. 19. l. 22. 23. *C. de SS. Eccles. l. 32. 35. 42. §. 6. 9. l. 46. pr. §. 1. 9. C. de Episc. & Cler.**

XVII.

Tutoribus ulterius injunctum est, ut bona pupilli probe & fideliter administrent, *tt. D. de adm. & peric. tut. eoque nomine caveant, tum juramento, l. 27. C. de Episc. aud. l. f. §. 5. 6. Cod. de curat. fur. tum satisfatione, tt. D. de satisd. tut. tum legali Hypotheca, l. 20. de admin. tut. l. un. §. 1. de rei ux. act. quæ administratio consistit in agendo, l. 56. §. 4. de furt. Defendendo, l. 1. §. 2. 3. D. admin. & peric. tut. Acquirendo, l. 1. §. 20. D. de A. P. l. 65. §. 3. ad SCtum Trebell. Contrahendo,*

l. 22.

*l. 22. de admin. & peric. tut. vel Autoritatem pupill-
lis, si tantæ ætatis sint, ut aliquem intellectum habe-
ant, præstando, l. 1. §. 2. de adm. tut. et, l. & D. de
Auth. tut. In eaque administratione dolum, latam,
levemque culpam præstent, l. 20. C. de neg. gest. deque
omni administratione rationem reddant, §. ult. de
Attilian. tut. & reliqua solvant, ad quam præstandam
ex quasi contractu obligantur, §. 2. l. de Obl. que quas.
ex contr. nasc. & tutelæ iudicio tenentur, d. §. 2. & et,
D. de tutel. & ration. distrah.*

XVIII.

Et hæc quidem ordinaria data sunt pupillis reme-
dia, verum extraordinariis etiam gaudent beneficiis:
tributum enim illis est beneficium Restitutionis in
integrum, quæ est remedium extraordinarium, l. 7.
§. 1. de in Int. rest. l. 3. C. de Jur. reip. quo Magistratus
naturalem æquitatem secutus, l. 1. l. 7. §. 1. D. d. t. tute-
lam minorum, (quorum nomine pupillos contine-
ri certissimum est, arg. rubr. D. quand. ex fact. tut. min.
agere vel conveniri poss. Cujac. ibid.) suscepit, eosque,
si ob ætatis fragile & lubricum consilium, l. 1. de rest.
in integr. l. 1. D. de minor. in captionem vel læsionem
incidissent, in eum statum in quo ante læsionem
erant, causa cognita, l. 13. 16. pr. l. 24. §. 5. de Minor.
reponit, l. 24. §. 4. de minor. quo remedio quamvis
si sine tutoribus contraxissent pupilli, opus non ha-
beant, cum contractus sit ipso jure nullus, si non
sunt locupletiores facti, l. 16. pr. d. t. salubriter ta-
men eo utuntur, si cum tutoris autoritate contra-
xissent, l. 1. & 2. C. si tut. vel curat. interven. Coll. Jur.
Arg. de Minor. §. 3.

XIX.

His ita delibatis pupilli jura secundum primum

juris objectum *conditionem scil. persona* examinanda duxi: Cum autem homines ex personarum jure dividantur in liberos & servos, ingenuos & libertinos, cives & peregrinos, patres & filios familias, item, quod vel in tutela vel in cura sint, vel neutro jure teneantur, de singulis accuratius deliberandum: & I. quidem omnem Pupillum *liberum esse* oportere firmiter statuendum, §. 1. *I. quib. mod. tut. fin.* id quod tum ex definitione pupilli superius allata, tum ex aliis juris textibus, & rationibus colligitur, fac. §. 1. *I. de Tutel.* quamvis enim impubes servus esse possit, *l. 14. ad Sc. Syll.* de Pupillo tamen idem juris non est, nam perpetua inter hæc in potestate Patria, Dominica, & Tutoria esse, contrarietas est, ita ut neuter sub utraque esse simul possit, nec duæ ejusmodi qualitates in uno subjecto concurrant, sed posita una removetur altera: quod si tamen dubitetur utrum impubes sit filius familias, an servus, interim pro libero habebitur, & pro pupillo, *l. 1. §. 1. & 5. de Carb. Edict.* Libertinus vero, quin pupillus esse possit, non dubitatur, arg. *tt. I. de leg. Patron. tut.*

XX.

Deinde *Civem Romanum esse* pupillum debere, nemo est qui dubitat, §. 1. *I. quib. mod. tut. fin.* cum jura pupillaria quamvis ex naturali ratione aliqua sint inventa, §. 6. *I. de Attil. tut.* Jure Civili tamen ea in formam redacta sunt, §. 1. *Inst. de tutel. Locam. ibid. in verb. Civilis.* add. *d. §. 6.* Tertio *sui juris ut sit,* necesse est: *pr. Inst. de tutel.* cessat enim pupillaris qualitas, si vel in naturalis patris potestate reperitur, *d. pr.* vel per arrogationem in patris adoptantis potestatem transeat, §. 1. *I. quibus. mod. tut. fin.* sane ubi pendet jus patriæ

patriæ potestatis, tum liberos interim pupillorum loco haberi non dubito, cuius certitudinem eventus probat, §. 5. *quib. mod. jus pat. potest. solv. junct. l. ult. §. 2. C. de sentent. pass. & rest.* Quarto pupillum in tutela esse debere existimo, arg. *tt. qui per. tut. & ubi per. §. 6. inst. de Attil. tut. §. 1. Inst. de tutel.* Quamvis enim contingere posset, ut tutorem per aliquod temporis momentum non habeat, *l. 18. Inf. C. de jure delib. v. g. remoto, vel mortuo tutore, statim tamen petendus est alius, eique constituendus. §. 6. ad SCtum Tertyl. vel ubi periculum esset in mora, ipse prætor tutoris officio fungitur, d. l. 18. inf. C. de tur. delib. & quamvis contingere posset, ut pupillo curator quoque dandus esset, §. 5. Inst. de Curator. §. ult. l. de Auth. tut. non tamen per hoc tutela finitur, sed potius talis curator tutori adjungitur, dd. §§. N. 72. c. 1. 2.*

XXI.

Ulterius sciendum Pupillum alios in potestate patriæ habere non posse, tum quia adoptare non potest, §. 4. *l. de Adopt.* quamvis ipsemet recte arrogari, & ita pupillaris qualitas tolli possit, §. 3. *Inst. de Adopt. junct. §. 1. Inst. quib. mod. tutel. fin.* tum quod nec nuptias contrahere possit, *pr. l. de pat. pot.* quamvis sponsalia recte contrahat, *l. 14. de spons. nec obst. l. 1. C. de nupt.* in qua de pupillis, nuptias contrahere posse, prædicari videtur; verum textum istum de futuris tantum nuptiis intelligendum esse non modo Juris analogia, sed & ipsa verba futuro marito ostendunt. Similiter nihil movent *l. 15. D. de spons. l. 20. D. de rit. nupt. abusive enim ibi terminus, pupilli accipi, pro ea qua olim fuit pupilla, necesse est, §. ult. l. de Attil. Tut.* quod si concederetur, filium naturalem impuberem habere posse, *ma-*
litia

litia ætatem supplente, legitimus tamen non erit, *pr. junct. §. 12. I. de Nupt.* In Potestate alias habere, & apud Consilium justa ex causa manumittere potest, *§. 4. I. quib. ex caus. man. non. lic.* non tamen tutor erit neque testamentarius, neque legitimus, neque dativus, *§. 2. I. qui test. tut. dar. poss. l. 8. D. de legit. tut. l. 13. de excus. tut.* & pari ratione nec curator esse poterit *d. §. 13.*

XXII.

Pergo ad secundum juris objectum, *Res* nimirum: Cujus respectu quæritur, an Possessionem, Dominium, vel aliud jus in re, Pupillus vel habere vel acquirere possit? Quod utrumque affirmo: Nam quod Dominium habere possit, & Dominus rerum in commercio constitutarum esse, & possidere possit, patet ex *l. 32. pr. de acquir. Possess. l. 1. §. 2. l. 3. pr. & §. ult. & et. D. de rebus eor. qui sub. tut. vel cur.* etiam per servum, *d. l. 32. in f.* videatur Honorandus Dn. Parens *in comm. ad legem 37. D. de acquir. vel amitt. poss. th. 129. num. 3.* similiter etiam sine tutoris autoritate Dominium perfectum ex causis lucrativis acquirit, *pr. I. de Auth. tut. §. ult. vers. at ex contrario. Inst. quib. alien. lic. vel non. l. 11. D. de Acq. Rer. Dom. & possessionem l. 1. §. 3. l. 32. §. 2. de Acq. Poss.* multo magis cum tutoris autoritate dominium nanciscitur, & possessionem *§. 1. I. de Auth. tut. d. l. 1. §. 3. d. l. 32. §. 2. de Acq. Poss.* sed an tutor etiam non adhibito pupillo eidem vel Dominium vel possessionem acquirat, plus videtur habere dubii, propter regulam illam generalem, qua dicitur, quod per liberam personam alteri nihil acquiratur. *§. 5. Inst. per quas pers.* verum non obstante ea, dicimus, per tutorem acquiri pupillo etiã ignoranti, si ejus nomine quic-

quicquam emerit, vel alio modo acquisiverit, *l. 13. §. 1. D. de acq. rer. dom. Locam. ad d. §. 5. ad verb. procuratorem.* Placuit enim per liberam personam possessionem, & per hanc Dominium acquiri posse alteri, *d. §. 5. l. 20. §. ult. de acq. rer. dom.* Quid autem statuendum, si tutor aliquid suo nomine, sed ex pecunia pupillari emisset, an pupillo acquireret? quod nego, jus tamen tacitæ hypothecæ pupillus in ista re habebit, *l. 7. qui pot. in pign. l. 3. de reb. eor. qui.* De acquirendo pignore expresso idem, quod de Dominio vel possessione acquirenda mihi est iudicium, *l. 11. §. 6. de pignorat. act. l. 2. per quas pers.*

XXIII.

Et hæc quidem de rebus singularibus: in Universitatibus acquirendis, plus est dubii. Nam Pupillus extranei hæreditatem (nam ubi suus hæres est, aditione opus non habet, cum ipso jure acquirat, *§. 2. l. de her. qual. & differ.*) etiam locupletem sine tutoris auctoritate acquirere nequit, *§. 1. l. de Auth. tut.* nec tutor poterat nomine pupilli adire, quia jure veteri actus erat legitimus, *l. 77. de R. l. quales per alium expediti nequeunt, l. 123. d. R. l. quamvis in bonorum possessione acquirenda secus fuerit, l. 65. §. 3. ad Sct. Trebell. l. 7. de jur. delib.* poterat tamen pupillus adire cum tutoris auctoritate, *§. 1. l. de Auth. tut. l. 18. in f. C. de jur. delib.*

XXIV.

In translatione rerum pupillarium plus difficultatis esse certum est: nam pupillus nullam rem sine tutoris auctoritate alienare potest, *§. f. l. quib. al. lic.* Imò nec cum tutoris Auctoritate, nisi res quæ servando servari non possunt, *l. 7. §. 1. de administ. tut. l. 22. Cod. eod.* Pecuniam autem in id impendat, ut Pupilli

C

pilli

pilli conditio melior fiat, puta si pro pecunia prædia
 emat, *l. 7. §. 3. D. d. t. si dotem det, l. 52. d. t. si præce-*
ptoribus salaria solvat, l. 12. §. 3. l. 13. §. 2. D. eod. res
vero immobiles & preciosæ, quæ servari possunt, non
aliter quàm cum decreto Magistratus alienari possunt,
l. 1. §. 2. & tt. D. de reb. eor. qui sub. tut. vel cura. certis
tamen dictis legibus casibus exceptis. Hæreditatem
quoque & bonor. possessionem pupillus repudiare
nequit sine tutoris Authoritate, l. 5. C. de repud. her.
hoc tamen observandum, etiamsi pupillus contra
aditam hæreditatem restitutus fuisset, adhuc tamen
ad abstinendum restitui posse, l. 7. §. 9. ff. de Minor.

XXV.

Videndum nunc erit, quæ sint jura pupillaria
 circa jura ad rem, sive obligationem constituendam:
 Ubi poni potest regula generalis. Pupillo, etiam sine
 tutoris Authoritate, alium majorem, ex quacunq;
 causa, obligari posse, hac tamen distinctione adhibi-
 ta, utrum contractus sit ex una parte obligatorius, an
 ab utraque: priori casu simpliciter quis obligatur pu-
 pillo, ut si quis ad stipulationem promittat pupillo,
pr. l. de auth. tut. Posteriori vero ut in emptionibus
 venditionibus, locationibus, conductionibus, depo-
 sitis, mandatis, & similibus, si adultus cum pupillo
 contrahat, ipse pupillus quidem adulto non obli-
 gatur, sed adultus obligatur pupillo, *d. pr. l. de auth.*
tut. quod non hunc habet intellectum, ac si, v. g. pu-
 pillus sine tutoris authoritate vendens, rem vendi-
 tam possit retinere, etiam non restituto precio; non
 enim cum damno alterius locupletari debet, quia
 pupillus ubi locupletior est factus, firmiter obligatur,
l. 5. pr. & §. 1. de auth. tut. sed ita intelligendum, ut
 pupil-

pupillus pro lubitu, à contractu, tanquam ipso jure nullo, impune recedere possit, *l. 16. pr. de min. facta hinc inde distinctione si locupletior factus sit, §. ult. cum ibi notat. à Locam. l. quib. mod. tollitur oblig.* Adultus vero, si pupillus vel tutor hoc exigit, contractum servare tenetur, cum ex ejus parte validus sit, *Locem. l. c. quod si tamen contigisset pupillum precium male expendisse, & ita locupletiozem factum non fuisse, etiam non restituto precio rem venditam retinebit, l. 25. §. 1. de cond. ind. fac. §. ult. vers. sin. a. aliter. l. quib. alien. lic. vel non.*

XXVI.

Econtra ex modo dictis constare poterit quomodo & quatenus pupillus obligetur adulto: Ubi distinctionem superius allatam repetimus: Pupillum nempe obligari semper ubi ex re actio venit, *l. 46. D. de obl. & act. l. 3. §. 4. l. 6. D. de neg. gest. sive si pupillus factus sit locupletior, l. 5. pr. & §. 1. D. de auth. tut. non obligari ubi locupletior factus non est, l. 25. §. 1. quand. dies leg.* Unde anceps inter Doctores nascitur quæstio, An Pupillus sine tutoris Autoritate contrahendo naturaliter obligetur? Affirmat in terminis *l. ult. de jurejur. l. 21. ad leg. falcid.* Negat id ipsum expressis verbis, *l. 41. de cond. ind. l. 59. de O. & A.* In conciliatione horum textuum multum desudant Dd. Goth. *ad l. 59.* superiore distinctione rem expedire conatur, utrum nimirum pupillus locupletior factus sit nec ne, priori casu, putat naturaliter eum obligatum, posteriori non æquè: sed hoc rem non expedit: nam si pupillus factus est locupletior, tum non modo naturali jure obligatur (quod nullam actionem, sed tantum soluti retentionem parit. *l. 6. §. ult. junct.*

junct. l. 7. D. de fidejuss. sed etiam civili (quod actionem producit, *l. 8. §. 3. de fidejuss.*) tenetur, *l. 46. de O. & A.* & contra, quando pupillus stipulando aliquid promittit, tunc, quia locupletior factus non est, ne quidem naturaliter tenetur, potest enim & solum repetere, *l. 41. de cond. ind.*

XXVII.

Commodior itaque erit conciliatio si dicamus cum Amplifs. Dn. D. Biccio. p. m. *in Nucl. C. I. A. de Obl. & A. §. 3. inf.* distinguendum esse in termino *naturalis obligationis*: est enim naturalis obligatio duplex, alia quæ actionem producit, alia, ex qua nulla actio, sed tantum retentio competit, per *l. 10. D. de O. & A. l. 16. §. 4. de fidejuss.* Vnde quando dicimus pupillum non obligari naturaliter, *l. 41. de cond. ind. l. 59. de O. & A.* intelligimus, cum omnino non obligari, ne quidem in secunda acceptione, quia factus non est locupletior, *l. 25. §. 1. quand. dies leg.* si vero dicamus illum naturaliter obligari, *in l. ult. de jurejur. l. 21. ad leg. falc.* intelligimus naturalem obligationem in priori sensu, sc. pro naturali & civili obligatione simul, quæ contingit ubi locupletior est factus, & actiones producit, secus tamen est, ubi pupillus aliam obligationem in se recipit, tunc dicitur naturaliter obligari, *l. 1. §. 1. de novat.* sc. ad liberandum debitorem, non tamen ad effectum erga se, *§. 3. l. quib. mod. toll. obl.*

XXVIII.

His ita generaliter præmissis, de singulis obligationum speciebus accuratius videndum, & primum de mutuo quod pupillus firmiter non contrahit, nam si pecuniam mutuum sine tutoris autoritate det alteri,

veri, nihil agit nec nummos facit accipientis, sed vindicari possunt, si extant, condici, si consumpti sint, vel ad exhibendum de his agi, §. ult. quib. alien. lic. vel non. sin vero pecuniam accipiat mutuam & perdat, non obligatur, l. 59. de O. & A. sin bene impendat, tenebitur in quantum locupletior est factus, arg. d. §. ult. l. 5. pr. §. 1. D. de Auth. tut.

XXIX.

Ita quoque in reliquis contractibus ac actibus humanis: nam constituere nequit pupillus, l. 1. §. 2. de const. pec. ei vero recte constituitur, l. 5. §. 9. d. t. Commodatum accipere nequit, l. 1. §. ult. commod. tenebitur tamen si locupletior factus, l. 3. d. t. nec dare poterit, arg. §. ult. Inst. quib. alien. lic. Pignus recte non constituit, l. 1. pr. D. quæ res pign. l. ult. C. si res alien. pign. dat. l. ult. C. de reb. alien. non alien. nec accipit ad effectum pignoratitiæ actionis, l. 38. de pign. act. at utiliter ad affecurationem suam, arg. pr. I. de Auth. tut. pr. I. quib. alien. non lic. Magister, aut institor esse poterit, quatenus scil. per eum Dominus obligatur, l. 7. §. 2. l. 8. de Inst. act. non tamen ipse exercitor esse potest, l. 1. §. 16. de exercit. act. nec alium præponere, l. 9. D. de inst. act. Peculiū servo recte non assignat, l. 2. §. 3. 4. l. 7. §. 1. l. 24. de Pecul. deponit, pr. I. de Auth. tut. non tamen accipiendo tenetur, nisi quatenus locupletior est factus, l. 11. §. 15. de pos. l. 2. de fidejuss. & mand. Non Mandat, l. 95. §. 4. de solut. nec mandatum suscipit, ut ipse obligetur, pr. I. de auth. tut. nec societatem init, l. 33. pro soc. quamvis de negotio communi gesto tenetur, d. l. 33. l. 46. de O. & A. Neque emere, neq; vendere potest, l. 27. de contrah. empt. l. 13. §. 29. de act. empt. De locatione conductione idem est iudicium, pr. I. de loc. cond.

ut & in permutatione, aliisque contractibus inno-
minatis, ob similitudinem, quam cum empt. vendi-
tione locatione & conductione habent, *l. 5. §. 1. 2. de
prescr. verb.*

XXX.

Dotem constituere nequit, nec accipere, quomi-
nus revocari possit, interim tamen quam diu co-
habitans retinere potest, *l. 8. D. de cond. caus. dat.* Te-
stamenti quidem factionem activam non habet, *§. 1.
Inst. quib. non est permis. fac. test.* & ideo parens pupil-
lariter ipsi substituendo, facere illi videtur, *pr. & 11.
I. de Pup. subst.* at hæres institui, & ex testamento ac-
quirere potest, *§. 4. I. de her. qual. & differ.* Novum
opus quamvis non nunciet, *l. 5. pr. de nov. op. nunc.* &
tamen recte nunciatur, *l. 10. 11. d. 1. non recte donat,
l. 11. de acquir. rer. dom.* at recte accipit, *pr. l. de auth.
tut. arg. l. 3. C. de acquir. poss.* recte stipulatur, *l. 14. I. de
V. O.* non tamen stipulando obligatur, *§. 9. Inst. de
inut. stip.* nec fidejubet, *arg. l. 25. de fidejuss.* pro eo ta-
men fidejussor intervenit, *d. l. 25.* Si novando alterius
obligationem in se recipit, liberatur quidem pristi-
nus debitor, at pupillus non obligatur, *§. 3. I. quib.
mod. toll. obl.* quamvis autem pupillo non recte sol-
vatur, si tamen res salva sit, & pupillus locupletior fa-
ctus per exceptionem doli mali salvatur solutio, *§. ult.
I. quib. alien. lic.* acceptum autem eidem quin possit
ferri nullus dubito, *l. 2. D. de acceptil.* quamvis eo mo-
do debitorem suum non liberet.

XXXI.

Quæ hætenus de contractibus dicta sunt, quod
pupillus inire nequeant, ita intelligi debent, *si sine tu-
toris Authoritate fiant*, nam tutore Authore ex omni
con-

contractu, ex quo tamen aliquid ad pupillum pervenire potest, obligatur, *pr. l. de auth. tut. §. ult. quib. al. lic. vel non.* Vnde non puto pupillum regulariter fidei jubendo obligari, aut donando, quamvis tutoris consensus adesset, *arg. l. ult. de curat. fur. l. 12. §. 3. de adm. tut. & ita quoque intelligerem stipulationem, l. ult. §. 2. de V. O. §. 9. l. de inut. stip.* nam (1.) si ex nulla causa promitteret, donatio esset & nullius momenti, utpote quæ doli mali exceptione elideretur, *l. 2. §. 3. de dol. mal. except.* aut (2.) si locupletior factus non esset: ubicunque enim ex contractu apud pupillum aliquid residet, ad hoc restituendum tenetur, *l. 5. pr. §. 1. de auth. tut.* Contra vero, etiamsi ob tutoris auctoritatem per se firmum sit negotiū, hoc ipsum tamen, etiamsi minor immodice læsus non sit, per restitutionem in integrum causa cognita cessantibus aliis remediis ordinariis rescindi possit, *l. 1. 2. C. si tut. vel curat. interven.*

XXXII.

De quasi contractibus notandum, obligari Pupillum etiam sine tutore authore ex negotiorum gestione, *l. 6. ff. de neg. gest.* Communium rerum administratione, *l. 46. de O. & A. l. 33. pro socio. l. 25. §. 16. fam. l. hercisc. l. 15. de pecul.* Tutelæ judicio contrario, *tt. ff. de contrar. tut. act.* & similibus, multo magis habebit socium negotiorum gestorem tutoremve & similes obligatos ex ejusmodi quasi contractibus, *tt. ff. de tut. & rat. distr.* nam & indebite solutum repetit, *l. 41. D. de cond. ind.* ab eo vero non repetitur, nisi quatenus locupletior factus est, *§. ult. l. quib. al. lic. vel non.*

XXXIII.

An autem ex delicto obligari possit? plus videtur habere.

habere difficultatis, quippe quod omne delictum proprie acceptum *πρωσίγειον* requirat & dolum, Bo- cer. *lc. 4. Diss. 1. θ. 4.* qui in pupillum vix cadit, qua- propter hoc loco distinguendum est inter pupillum infantiae & pubertati proximum, quorum prior mi- nime obligatur, posterior vero quia jam intelligit quid agat, tenetur, ut in furto, §. 18. *l. de obl. qua ex del. nasc. l. 23. ff. de furt. in damno dato, d. l. 23. de furt. in injuria illata, l. III. D. de reg. jur. & similibus: mitius tamen puniri solent, l. 37. de minor. l. 108. de R. l. l. 16. §. persona. ff. de pæn. l. 2. de termino mot.*

XXXIV.

Ex quasi delicto pupillum non teneri puto, quip- pe quod in omnibus juris textibus, ubi de obligatio- nibus pupilli delinquentis agitur, præcise doli men- tio fit, *d. l. 23. de furt. l. 5. §. 3. ad l. Aquil. & pass.* qui cum in quasi delictis cessat, cessabit & obligatio.

XXXV.

In delictis publicis criminalistæ communiter su- periores, quam circa delicta privata adduxi, distin- ctionem adhibent, nimirum pupillos pubertati pro- ximos, & doli capaces, ex delictis publicis obligatos, non tamen pœna mortis afficiendos, sed extra ordi- nem puniendos, *l. 7. C. de pæn. Const. Crim. Carol. V. art. 164.* quam pœnam extraordinariam ad carceres, relegationem & fustigationem usque extendi posse putant DD. *ad d. art. 164. junct. art. 158. 161.* Imò in atrocissimis criminibus capite quoque plecti debe- re impuberes docet *l. 14. D. ad Sct. Syllan. Carpzov. in pract. rer. crimin. part. 3. quest. 143. n. 48.*

XXXVI.

Occasione tertii Juris objecti *actionum* scil. quæri- tur an

ritur an Pupillus Magistratus, Iudex, Actor, Reus, Advocatus, Procurator, Testis, aut similis persona sive principalis, sive accessoria iudicij esse possit? De singulis accuratius dispiciendum.

XXXVII.

Et quidem pupillum Magistratum esse posse, inde facile colligitur, quod etiam Imperatorum Regumque aliquot in ea ætate ad summa rerum Gubernacula sedere cœperint; Exemplo nobis sit ex Regibus Judæorum Joas septem annorum, 2. Chron. 22. Manasse 12. annor. 2. Chr. 33. Josia. 8. annor. 2. Chr. 24. numero Imperatorum Rom. impuberum sunt Arcadius, Honorius, & Wenceslaus, quemadmodum & ex Regum catalogo quamplurimi recenseri possent, si instituti ratio pateretur: Consules fuisse aliquando pueros, constat ex subscriptione l. 14. C. de religios. ex qua apparet Honorium nobilem puerum consulatum gessisse, ita quoque ad decurionatum admittebantur, l. 21. §. 6. ad municip. Et ad officia militaria, l. ult. C. de test. mil. quæ tamen ita accipienda sunt, ut ejusmodi pueris magis dignitas, quam officium fuerit commissum, quod per Vicarios expediebatur, ut recte notavit Gothofr. ad d. l. 21. §. 6. ad municip.

XXXVIII.

Quem in modum pupillus Magistratum gerere potest, eodem quoque modo Iudex esse, & judicare poterit, l. 57. D. de re jud. & quemadmodum rata sunt ea jura & edicta, quæ ejus auspiciis publicabantur, ita quoque sententia sub ejus nomine lata, vim rei judicatæ habebit, Assessores enim jurisperiti de

D

nego.

negotio referebant, sententiamque suggerebant, quam deinde ejusmodi Magistratus vel iudices subscribebant, confirmabant, & suo nomine publicabant, l. 2. l. 13. C. de Assess. Nov. 60. c. 2. Alias per se solus esse iudex nequit, l. 12. §. 2. vers. natura, D. de iudic, l. 41. de recept. arbit.

XXXIX.

Pupillus cum non habeat legitimam personam standi in iudicio, hinc fit ut ipse solus agere non possit, l. 1. §. 1. C. qui legit. pers. standi in iudicio non hab. sed si infantiae major sit, cum tutoris auctoritate agere poterit, l. 2. C. d. t. vel ipse tutor ejus nomine aget, l. 1. §. 2. de adm. & peric. tut. de appellatione interponenda, & proseguenda simile erit iudicium, l. 24. §. 1. pr. l. 27. l. 28. §. 2. de appell. imò & mater appellare poterit nomine filij, l. 1. §. 1. de appell. recip. in accusatione tamen criminis publici regulariter pupillus non admittitur, l. 8. pr. de accus. nisi suam suorumque persequatur injuriam, tum enim cum tutorum consilio accusabit, l. 2. §. 1. de accus. si modo infante major sit: Gothofr. *ibid.* poterit tamen tutor proprio nomine, ex delicto in pupillum commisso alium accusare, l. 2. C. de his qui accus. non poss. fac. l. 2. C. de his quib. ut indign.

XL.

Econtra, ex jam dictis facile colligimus pupillum solum sine tutoris auctoritate, nec citari ad iudicium, l. 4. pr. l. 22. de inpr. voc. nec in iudicio conveniri posse, l. 2. l. ult. C. qui legit. pers. stand. (posse tamen tum cum tutoris auctoritate, tum tutorem solum ejus nomine, l. 1. §. 2. de adm. tut.) multo magis si ob delictum

accusetur tutoris necessaria erit autoritas, l. 4. C. de auth. prest. & si pupillus tutore esset destitutus, ipse, qui cum pupillo in iudicio experiri vult, impetrare debet, ut tutor ei constituatur, l. 2. §. 3. qui pet. tut. l. 4. C. d. t. l. ult. §. 2. vers. ne autem C. de adm. & peric. tut. l. 7. §. 5. de minor. quia sententia contra pupillum indefensum lata est ipso jure nulla, l. 6. C. quomod. & quand. jud. l. 45. §. ult. l. 54. pr. de re jud. quamvis ex primo decreto rei servandæ causa in ejus bona creditor mitti possit. l. 5. pr. §. 1. l. 6. §. 1. l. 16. quibus ex causis in poss. & si vel ipse vel tutor ejus justè sit condemnatus etiam in pupilli bonis sententia executioni mandatur, l. 2. pr. de adm. & peric. tut. l. 7. quand. ex fact. tut. l. 1. C. eod. & ideo tutores non absolute litigare tenentur, sed bonam fidem agnoscere, solve, & ita litem declinare debent, l. 9. §. 9. D. de adm. tut.

XLI.

Advocatus aut Procurator pupillus esse nequit, per text. in leg. 1. §. 3. vers. pueritiam. D. de postulando. Nam qui ipse proprio nomine, & propria in causa non admittitur, multo minus admitti poterit in causa aliena, arg. §. 13. l. de exc. tut. quod secus est in minore 25. annorum majore tamen 17. annorum, qui & Advocatus, d. l. 1. §. 3. de postul. & Procurator esse potest, §. 5. l. quib. ex caus. manum. non lic. nec Dominus contra ejus factum restituitur, quia sibi imputare debet, quod tali usus fuerit, l. 13. pr. §. 1. D. 1. de minor. Ratio diversitatis ea allegari posset, quod pupillus omnino non obligetur, minor & firmiter obligari possit,

possit, quamvis restituatur in integrum, l. 3. C. de rest.
in integr.

XLII.

Ita quoque ad *testimonium perhibendum* prorsus incapax est pupillus, neque enim in testamentis admittitur, l. 20 pr. qui test. fac. poss. neque in civilibus negotiis, l. 3. §. 5. l. 19. §. 1. D. de testib. neque in criminalibus causis, l. 20. D. de testib. neque etiam pubes factus, de eo negotio quod in impubere ætate contingit, l. 14. D. ad SCt. Syllan. l. 1. §. 1. de test. nec alio modo probatio ab eo exigere debet, puta per jusjurandum, l. 34. §. 2. de jurejur. (secus est in jurejurando à parte delato, l. 26. pr. d. t.) aut per torturam, l. 10. pr. l. 15. §. 1. de question. l. 1. §. 32. 33. D. ad SCtum Syllan.

XLIII.

Deuissim hic quoque de *muneribus publicis*, an & quatenus pupillorum eorum intuitu habeatur ratio, longius excurrere, verum cum jam superius explicatum sit, pupillum esse Civem Romanum, sui juris, honorum quidem Magistratum & militarium certo respectu non tamen officiorum publicorum capacem, ea hic non repeto: unicum hoc adjiciendum puto; pupillum ab oneribus personalibus immunem esse, l. 8. de muner. ad munera autem realia obeunda eum astringi, l. 6. §. 3. & 4. de muneribus & honor.

XLIV.

Hæc sunt quæ ex universo jure de pupillis infantia majoribus, pro ratione instituti notare volui:
Satis

satis enim accurata tractatio, non Disputationem
sed Volumen, non Edictalem aut Papinianistam, sed
Jureconsultum requirit; qua propter pedem sisto.
*Deo Ter Optimo Maximo sit Laus, Honor,
& Gloria in secula nullis seculis
terminanda.*

F I N I S.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

F I M I S



3
11
15
16
17



Strassburg, Diss., 1665-66

ULB Halle 3
003 745 031




f

TA → OL

nur 5 bisher verknüpft

WOM



B.I.G.

Farbkarte #13

IO JURIDICA

ILLO

MAIORE,

UVA NTE,

ramine

R I
lissimi, Consultissimi,
ellentissimi

N - MELCHI-
SHENSE


entoratusium Universitate
Ordinarij Famigeratissimi,
ptoris sui omni Honoris ac
lo ætatem deve-
andi.

im ventilationi exponet

CKHER R, Argentorat.

c Resp.

Mensis Martij



TORATI

IS WELPERI.

LXV.

~~81~~
81

14

1665, 13.

